Quaestio medica cardinalitiis disput. agit. in Scholis die Jovis 4 Martii 1574.

Clariss. viro D. Vincentio Mustel D. M. Moderatore prudentissimo.

Estne tumorum omnium communis aliqua curatio?

Tumor vitiata partium quantitate et actione affectus ex omni morborum genere constans, ortum ab humoribus fluentibus, aut congestis et alteratricis expultricisque vitio, partium dolore, aut imbecillitate et humorum, ac meatuum aptitudine repetit, variatque; (ut et affectus plerique) primitivas, antecedentes et coniunctas causas obtinet. Cuius species ex influentis naturae distinctas, color praedominantis humoris index, calorque calidi putrescentis aut adusti, frigus frigidi, duritiesque phlegmones aut scirrhi mollitiesque oedematis, tensio flatus aut repletionis, morsusque acrimonias, fluxionis denique periodus et paroxysmus aperiunt, indeque maxime quatuor tumores veluti totidem humoribus sola quantitate noxiis analogi consurgunt; quorum

Phlegmone ut frequentior, ita et symptomatis acrior, calore, rubore, tensione, doloreque pulsatili conspicua, sincerique sanguinis permixtione soboles, vetustissime omnium in molem assurgit, et temporibus quatuor absoluta, minas symptomatumque distinctas totidemque terminis concluditur, quorum quidem hic optima est insensilis resolutio, hic deterrima partis corruptio: hinc abscessus triplici genere distinctus, sinusque, et fistulam aliorum morborum curationem interdum eludens, hinc gangraena mollium et sphacelus solidiorum etiam partium ultra perniciosus evadens; hinc et furunculi profundi deterioris: bubones ex febribus pestilentiis, inguinum, alarumque, phygethla, velut etiamque; nascentia et suppurantia phymata, febresque excitantes carbunculi recensentur.

Erysipelas biliosi sanguinis germen, internis externisque partibus commune, speciesque multiplex a phlegmone mole quidem pulsuque minore, majore tamen calore, et punctione flavoque colore dignoscitur, quod cum in facie (quam saepius infestat) pessimum sit, tum vulneribus aut ulceribus, fracturisque; et ossium nudationibus succedens, aut ab exterioribus ad interiora recedens, suppurans, aut praegnantis uterum invadens lethale imprimis existit; ad idem genus herpetes pertinentes quidem, sed febris et pruris expertes et phlyctaenae in exteriore tunica possimas reducantur.

Ex naturali pituita tumor mollis, laxus, sine dolore caloreque, prementi cedens, sive verum oedema conflatur; ex non naturali mistaque, flatibus aut aqua non verum: utrumque; frigidis et laxis partibus senibus et crapulae deditis hyeme praesertim familiare; sive morbus sive symptoma benignum est; hinc et ascites et hydrocele, et leucophlegmatias repetuntur; sic ex utraque melancholia crassiore pituita utrumque, sic scirrhi genus, alterum sine sensu doloris, sic curatu nocivum; alterum vero hebetis sensus sic curatu difficilius. Hinc ganglia, chalazae, similiaque: ex crassa denique vel adusta melancholia cancrum omni genere frigidis affectibus annumerandum occurrit, hinc phagedaenas pharmacis resistentes, hinc elephas totius corporis cancer incurabilis erumpit.

Horum vero omnis cura curationem morbi partisque prospecta natura; sive quidem quod iam influxit amotio, fluentis vero repressio. Hoc tum vena ex opposita parte secta, frictionibus, cucurbitulis, balneum frequens aut inedia, tum pharmacum exhibitum aut ἀποκρουστικὰ et ἀνώδυνα partibus admota praestabunt, illud vero non diaphoreticis tantum sed ἀποκρουστικοῖς etiam consequimur; quae tumorum quidem principiis saepius pura conveniunt, postmodum diaphoreticis temperata, tum denique confusa, tandem vero penitus sunt omittenda. At in abscessum saeviens tumor chalasticis primo, post pepticis, aut emulsa penitus aliena sanie vel ferro vel caustico, stypticis denique sarcoticis, et epuloticis est profligandus.

Est igitur tumorum omnium communis aliqua curatio.

Ponebat Nicolaus Lambert Lutetianus.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE